

Ludovicus Ciconiolanus, Franciscalis Observantiæ, qui sub Paulo III floruit, hujusque Pontificis approbationem meruit.

S. Pius V in undecim Titulos Rubricas Generales distribuit. Clemens VIII postea, ac dein Urbanus VIII, in Breviarii recognitione, Pianas Rubricas reformarunt et adauxerunt in 37 Titulos divisas; istæ fuerunt retentæ usque ad annum 1882, quo Leo XIII notabiliter eas immutavit. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, I, 1887, pag. 86.)

Per Decretum Urbis et Orbis, 7 Decembris 1897, S. Rituum Congregatio, ut inter latas recentiorum Decretorum leges Rubricarumque præscriptiones maxima exstaret conformitas, Rubricas generales a Commissione Liturgica revisas, examinatas, et ad Decretorum normam concinnatas approbavit; quam sententiam SS. Dominus Leo Papa XIII, die 11 Decembris 1897, ratam habuit, et confirmavit, præcepitque ut superscriptæ variationes in novis editionibus Breviarii inserantur.

II. **Generales** dicuntur Rubricæ istius Præludii, quatenus statuunt leges generales diversis Officiis communes, ut distinguantur a Rubricis **particularibus**, quæ in ipso Breviario disseminatæ, quid variis anni ecclesiastici temporibus, aut in quibusdam Festis observari, aut adimi vel adjici debeat in peculiaribus Officiis, exponunt.

III. Dividi possunt istæ Generales Rubricæ in tres partes: aliæ spectant ad totum integrum Officium, modumque istud ordinandi, et de eis agitur in duodecim primis Titulis; — aliæ continent regulas proprias majorum partium, hoc est singularum Horarum Officii, et de eis dicitur a Titulo XIII ad XVIII inclusive; — aliæ denique versantur circa majorum partium partes ex quibus ipsæmet Horæ componuntur, et de eis agitur a Titulo XIX ad ultimum.

PARS TERTIA

QUÆSTIONES IN RUBRICAS GENERALES BREVIARII ROMANI

Quæ in hac tertia Tractatus Parte proponuntur Quæstiones in Rubricas Generales Breviarii, in tres Sectiones sunt distributæ, quarum I Sectio agit de distinctione Officiorum, II de Occurrentia et Concurrentia, III tandem de quibusdam Officii partibus minoribus.

SECTIO I

De Officii divini distinctione — De Festis — Dominicis — Feriis — Vigiliis — Octavis — Officiis votivis

§ 1. De Officii divini distinctione

Q. 101. *Quotuplex distinguitur Officium divinum?*

R. 1^o Ratione **objecti**, seu **Mysterii** aut **Festi**, de quo fit, Officium quintuplex distinguitur. Etenim unaquæque dies anni, sive **Dominica**, sive **Feria**, habet in Breviario correspondens sibi Officium, quod vocatur de **Tempore**; sæpe tamen harum Dominicarum et Feriarum omittitur vel totaliter vel pro parte Officium, ob **occurentia Festa**, in quibus Ecclesia memoriam agit sive **Mysteriorum** nostræ **Redemptionis**, sive **B. Mariæ Virginis**, sive **reliquorum Sanctorum**; sed ex his Festis quædam solemniora habent **Octavam**, hoc est, per octo dies continuos celebrantur, et aliquando etiam **Vigilia** præveniuntur. Hinc nascitur quintuplex Officii discrimen: est enim Officium vel de **Dominica**, vel de **Feria**, vel de **Festo**, vel de **Vigilia**, vel de **Octava**.

2^o Ratione **ritus**, quo persolvitur, Officium triforme distinguitur, juxta Rubricam Breviarii præliminarem: « Officium quotidie fit aut **Duplex**, aut **Semiduplex**, aut **Simplex**. »

NOTA. Quare sub respectu ritus Officia ita denominentur, rationes diversæ a diversis traduntur, e quibus sequens seligitur: Priori Ecclesiæ ævo Festa Domini ac Sanctorum Martyrum

tantum celebrabantur, illa quidem ubique, hæc in loco tantum eorum martyrii, et per solam in Missa commemorationem; cujus ritus exemplum adhuc superest in Nativitate Domini, cum S. Anastasiæ commemoratio tantum in Missa, non autem in Officio obtinet.

Progressu temporis, quum id pietati erga Sanctos nequaquam satis videretur, proprium Officium pro illis institutum fuit, additumque Officio diei, sive de Dominica esset sive de Feria; atque ita duplex Officium recitabatur, nempe diei unum (de Tempore), alterum de Sancto, unde Officii Duplicis appellatio videtur profecta.

Verum quum Festorum numerus non paulum accresceret, et duplex Officium maximo oneri esset, Officium de Tempore in Festis prætermissum fuit, satisque habitum ejus commemorationem agere in Officio Festi, quemadmodum hodie fit in Dominicis communibus, et Feriis majoribus dum impeditur earum Officium per occurrens Festum.

alonde — Non tamen omnibus Sanctorum Festis proprium et integrum Officium assignabatur: pro quibusdam enim dicebatur pars Officii de Tempore, et alia de Festo; adinstar ritus qui hodie in Festo simplici servatur: unde Festa hæc dimidiatum habebant Officium, quod ita distributum erat, ut unum constitueret licet duo proposita haberet, atque ita Semiduplex fuit appellatum. Porro hæc Festa semiduplex, ut patet, olim longe alia erant quam hodie. Hodie enim Semiduplex dicitur Officium quod integrum de eodem est objecto, sed de utroque ritu Duplici et Simplici participat; *semi* pro *quasi* accipitur, semiduplex ergo, seu quasi duplex, exprimit quod Officium non in totum est duplex, sed in aliquo tantum: cum Duplici convenit in numero Nocturnorum, Lectionum ac Vesperarum; a Simplici retinet Preces ad Primam et Completorium, Suffragia Sanctorum, et Antiphonas simplices, seu integras in fine Psalmorum tantum.

Q. 102. *Assigna præcipuas differentias inter triplicem Officiorum ritum, Duplicem, Semiduplicem et Simplicem.*

R. I. OFFICIUM DUPLEX (cfr. Rubricæ generales, Tit. I): 1° habet duas Vesperas integras, primas scilicet et secundas, et incipit a primis Vesperis usque ad Completorium sequentis diei inclusive; nisi cum alio simili Officio duplici concurrat, id est, nisi sequenti die iterum recitandum sit Officium duplex, similiter incipiens a primis Vesperis; in quo casu, ne duæ Vesperæ Officiorum duplicium sint recitandæ, secundæ nempe præcedentis, et primæ sequentis, debet necessario institui aliqua utriusque Officii compositio, de qua dicitur in Rubricis de Concurrentia Officiorum.

2° In utrisque Vesperis, in Matutino et Laudibus, non autem in aliis Horis, duplicantur Antiphonæ, id est, integræ dicuntur in principio et in fine Psalmorum. (Cfr. Q. 24, ubi agitur de Antiphonis.)

3° Ad Matutinum regulariter dicuntur tres Nocturni, cum novem Psalmis et totidem Lectionibus, hoc est, in unoquoque Nocturno tres Psalmi et tres Lectiones.

4° Preces (cfr. Q. 45), et Suffragia (cfr. Q. 46), non dicuntur in Officio dupli.

II. OFFICIUM SEMIDUPLEX (cfr. Rubricæ generales, Tit. II): 1° habet Officium integrum sicut Duplex, scilicet duas Vesperas, primas et secundas; excipitur tamen Officium diei infra Octavam, quod incipit solum a Matutino, et proinde primas Vesperas non habet; perducitur tamen usque ad Completorium.

2° Neque in Vesperis, neque in Matutino et Laudibus duplicantur Antiphonæ, sed in omnibus Officii Horis ante Psalmum prima tantum Antiphonæ verba dicuntur, integraque Antiphona post Psalmum legitur.

3° Ad Matutinum, sicut in Officio dupli, dicuntur regulariter tres Nocturni, cum novem Psalmis et totidem Lectionibus. Excipitur tamen ab hac regula Officium Dominicæ, quando ejus dicitur Officium ut in Psalterio; habet enim octodecim Psalmos, scilicet in primo Nocturno duodecim Psalmos cum tribus Lectionibus, in secundo autem et tertio tres Psalmos totidemque Lectiones.

4° Dicuntur Preces Dominicales ad Primam et Completorium, et Suffragia de Sanctis ad Vesperas et Laudes; exceptis diebus infra Octavas Festorum, etiamsi infra Octavam Officium feret de Dominica, vel alio Festo semidupli; exceptis etiam, pro Suffragiis, quibusdam anni temporibus, ut dictum fuit in prima Tractatus parte (cfr. Q. 46).

III. OFFICIUM SIMPLEX (cfr. Rubricæ generales, Tit. III): 1° non habet duas Vesperas, sed unicas tantum; — et quidem Officium simplex de Festo alicujus Sancti incipit pridie a Vesperis (a Capitulo), sed terminatur per Nonam; — Officium simplex de Feria incipit a Matutino tantum sed perducitur usque ad Completo-

rium. Unde dicitur communiter, Simplex de Festo habere tantum primas Vesperas, Simplex de Feria habere tantum secundas Vesperas.

2° Quemadmodum in Officio semiduplici, in Officio simplici non duplicantur Antiphonæ.

3° Ad Matutinum habet unum tantum Nocturnum cum duodecim Psalmis et tribus Lectionibus; ideo vocatur Officium simplex Officium trium Lectionum, dum econtra per Officium novem Lectionum designatur Officium duplex vel semiduplex. (Cfr. Q. 28, de Lectionibus.)

4° In Officio simplici de Festo, dicuntur Preces et Suffragia de Sanctis sicut in Officio semiduplici; in Officio simplici de Feria, ante Suffragia de Sanctis fit Commemoratio de Cruce. — In Feriis per annum dicuntur Preces Dominicales; sed in Feriis Adventus, Quadragesimæ, Quatuor Temporum, et Vigiliarum quæ jejunantur, dicuntur Preces Feriales ad Laudes et per omnes Horas, et cum dicuntur, flectuntur genua in Choro. (Cfr. Q. 45.)

§ 2. De Festis

Q. 103. *Quid intelligitur per Festum?*

R. Per Festum intelligitur proprie cultus liturgicus, quo Ecclesia quotannis in aliqua determinata die recolat memoriam vel Mysterii alicujus, vel Sancti; ipsa dies in qua cultus iste liturgicus præstatur etiam vocatur Festum.

Dicitur in Responso: cultus liturgicus, ea scilicet ratio recolendi Mysterium vel Sanctum, quæ fit per Officium et Missam aut Commemorationem, secundum ritum, aut classem, aut qualitatem, aut dignitatem quæ vel Mysterio vel Sancto congruunt, ex præscripto Ecclesiæ in Breviario aut in Missali.

Datur nonnumquam in locis particularibus alia ratio recolendi Mysteria, vel Sanctos, per exteriorem apparatus, concursum populi, et alia hujusmodi, quin dicatur Officium, vel celebretur Missa de Mysterio, aut de Sancto ex præscripto Ecclesiæ; ex gr., per triduum, novenam, octavam extraliturpicam, mensem, et alia hujusmodi.

De hac ultima ratione hic non est quæstio, et solummodo in sequentibus agitur de cultu liturgico supra designato.

Q. 104. *Quomodo distinguuntur Festa?*

R. Pia Mater Ecclesia, dum per anni circulum recollendam exhibet memoriam Mysteriorum nostræ Redemptionis, aut gloriam Sanctorum, pro diversitate excellentiæ singulorum Mysteriorum et dignitatis Sanctorum Festa quoque constituit diversa, id est celebranda majori vel minori ratione tum ritus, tum solemnitate. Unde nascitur Festorum distinctio.

I. Ratione ritus qui servatur in eorum Officio, Festa alia sunt **Duplicia**, alia **Semiduplicia**, alia **Simplicia**. (Cfr. Q. 102.) Hæc distinctio ritus in Calendario indicatur pro Festis duplicibus et semiduplicibus; ubi vero nulla ritus designatio apponitur, signum est Festum esse ritus simplicis.

II. Ratione **classis**, quæ distinctio non applicatur nisi Festis quorum ritus est duplex, Festa distinguuntur, quadrupliciter: Festum duplex est aut **duplex 1^æ classis**, aut **duplex 2^æ classis**, aut **duplex majus**, aut **duplex minus**. Duplex minus regulariter notatur **duplex**, sine designatione classis.

Antiquitus distinguebatur tantum Duplex in totum, seu Duplex majus, quod nos hodie dicimus Duplex 1 et 2 classis; et Duplex simpliciter, seu Duplex minus.

Distinctionem inter Duplex 1 classis et Duplex 2 classis inventam reperimus tempore S. Pii V.

In recognitione Clementina Breviarii, ad majorem Festorum duplicium distinctionem, et ad verius exprimendam Festorum dignitatem et præstantiam, institutæ fuerunt quatuor classes duplicium Festorum supra designatæ.

Animadvertendum est quod Rubricæ generales Breviarii quando interdum loquuntur de Festo duplici ex majoribus, talia appellent tantum Festa 1 et 2 classis; duplicia majora tertii ordinis vero non cum illis censenda sunt.

III. Ratione **qualitatis**, Festa duplicia in unaquaque ex quatuor classibus, et Festa semiduplicia, ulterius distinguuntur, et sunt vel **primaria**, vel **secundaria**.

Illud dici potest Festum **primarium** Domini et Deiparæ, quod pro objecto habet eventum maximæ gravitatis, vel mysterium aliquod eorum vitæ quod non continetur aut recolitur in alio ipsorum Festo; — pro Sanctis Festum **primarium** est eorum dies natalitia,

vel quasi natalitia, qua recolitur eorum triumphalis in cœlum ingressus.

Festum secundarium illud est quod pro objecto habet factum aliquod minoris gravitatis; aut mysterium non undequaque distinctum, sed quod jam implicite recolitur in alio Festo Domini vel B. Mariæ Virginis; aut cujus objectum non refertur ad factum vel mysterium eorum vitæ; aut in quo recoluntur sub aliquo peculiari titulo; — pro Sanctis secundarium est quodcumque Festum præter eorum natalem diem, uti Inventionis Corporis, Translationis, Receptionis, Patrocinii et hisce similia.

Festa secundaria non dantur nisi de personis quæ saltem duo Festa per annum habent; Festum illorum Sanctorum qui unicum tantum habent, ex natura sua est primum, quia celebratur in die natalitia vel quasi natalitia eorum.

In sequenti Quæstione 108 dabitur Catalogus Festorum quæ uti primaria vel secundaria retinenda sunt, a S. Rituum Congregatione propositus 22 Augusti 1893, et a Leone XIII approbatus et vulgatus die 27 ejusdem mensis et anni (Decret. n. 3810), et in quocumque Breviario post Rubricas generales descriptus.

IV. Ratione dignitatis tandem distinguuntur Festa duplicia in unaquaque ex quatuor classibus, et Festa semiduplicia quæ primaria sunt, et eadem Festa quæ secundaria sunt. Hæc distinctio oritur ex dignitate insigni seu eminenti personæ cujus Festum celebratur, et indesequenti ordine distinguuntur Festa: 1° Domini; 2° B. Mariæ Virginis; 3° SS. Angelorum; 4° S. Joannis Baptistæ; 5° S. Joseph; 6° SS. Apostolorum et Evangelistarum (isti æquiparantur enim); 7° reliquorum Sanctorum, inter quos nulla dignitatis distinctio ulterius observatur, ita ut Sancta Virgo aliqua ejusdem reputetur dignitatis quam Sanctus Confessor aut Sanctus Martyr.

Generatim nulla datur difficultas recognoscendi Festorum dignitatem. Dubium posset esse de Festo S. Familiæ Jesu, Mariæ, Joseph: opportune declaravit, saltem implicite, S. Rituum Congregatio hoc Festum esse Festum Domini; et revera in eo honorantur, non tantum B. Virgo Maria et S. Joseph, sed etiam Domi-

nus noster Puer Jesus. (Decretum 4 Martii 1901 describitur in responso ad Q. 187, 4°. Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVII, 1903, pag. 131, 132.)

Q. 105. *Recense diversa Festa duplicia 1 classis.*

- R. 1. Nativitas Domini, 25 Decembris.
2. Epiphania Domini, 6 Januarii.
3. Feria V, in Cœna Domini.
4. Feria VI, in Parasceve.
5. Sabbatum Sanctum.
6. Pascha Resurrectionis.
7. Feria II de Octava Paschæ.
8. Feria III de Octava Paschæ.
9. Ascensio Domini.
10. Pentecostes.
11. Feria II de Octava Pentecostes.
12. Feria III de Octava Pentecostes.
13. Festum SS. Corporis Christi.
14. Immaculata Conceptio B. Mariæ V., 8 Decembris.
15. Annuntiatio B. Mariæ V., 25 Martii.
16. Assumptio B. Mariæ V., 15 Augusti.
17. Nativitas S. Joannis Baptistæ, 24 Junii.
18. Festum S. Joseph, Sponsi B. M. V., 19 Martii.
19. Festum SS. Apostolorum Petri et Pauli, 29 Junii.
20. Festum Omnium Sanctorum, 1 Novembris.
21. Dedicatio propriæ Ecclesiæ.
22. Patronus loci præcipuus.
23. Titulus propriæ Ecclesiæ.
24. Festum SS. Cordis Jesu, Feria VI post Octavam SS. Corporis Christi.

Præter Festa quæ supra recensentur, possunt et alia esse celebranda particularia, concessa Apostolicis Indultis; et ita pro Archidiocesi Mechliniensi adnumerantur duo Festa duplicia 1 classis sequentia:

25. Festum S. Rumoldi Episcopi et Martyris, Ecclesiæ Metropolitanæ, Civitatis et Archidiocesis Mechliniensis præcipui Patroni, 1 Julii; ex concessione Apostolica 20 Julii 1838.
26. Festum Patrocinii S. Joseph, Confessoris, Sponsi B. Mariæ Virg., Dominica III post Pascha; ex Indulto Apostolico 26 Novembris 1847; etenim in Ecclesia universali celebratur ritu duplici 2 classis tantum.

*Concurrando la festa de la Sra familia y de otro Señor, las vísperas se dividen.
Inter filios mulierum non est S. Joane Baptistam.*

Insuper in Civitate Mechliniensi celebrantur ritu duplici 1 classis duo Festa sequentia :

27. Festum Translationis Reliquiarum S. Rumoldi, Episcopi et Martyris, Dominica IV post Pascha ; ex Indulto 26 Novembris 1847.

28. Festum S. Mariæ Magdalænæ, 22 Julii.

NOTA. I. Ex diversis Festis quæ supra recensentur, quædam tanta cum religione ac solemnitate ex Ecclesiæ instituto ubique celebrari debent ut quibusvis aliis Festis etiam 1 classis semper sint præferenda. Hæc solemnissima Ecclesiæ universalis Festa ea sunt quæ supra a numero 1 usque ad 20 inclusive, nempe a Nativitate Domini usque ad Festum Omnium Sanctorum inclusive recensentur.

NOTA. II. Sub n. 21 recensetur Dedicatio propriæ Ecclesiæ ; intellige ipsam diem Dedicacionis, seu Consecrationis, et Anniversarium hujus Dedicacionis, quotannis celebrandum. Attamen Anniversarium hoc in singulis Ecclesiis nostræ Diœcesis non celebratur in ipso die vere anniversario ; etenim a tempore Indulti pro reductione Festorum in territorio Gallicano, 9 Aprilis 1802, et vi Decreti S. Rituum Congregationis, 1 Septembris 1838 (n. 2784, antiq. 4839, Mechlinien., ad 2), Anniversarium Dedicacionis Ecclesiæ Metropolitanæ et omnium Ecclesiarum Archidiœcesis in cumulo celebrandum est Dominica post Octavam Omnium Sanctorum ; et celebratur ritu duplici 1 classis cum Octava, sive Ecclesia propria consecrata, sive benedicta tantum fuerit. (Decret. 9 Julii 1895, n. 3863, ad 3.)

Q. 106. *Recense diversa Festa duplicia 2 classis.*

R. 1. Circumcisio Domini, 1 Januarii.

2. Festum SS. Nominis Jesu, Dominica II post Epiphaniam.

3. Festum SS. Trinitatis, Dominica I post Pentecosten.

4. Festum Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C., Dominica I Julii.

5. Inventio S. Crucis, 3 Maji.

6. Purificatio B. M. V., 2 Februarii.

7. Visitatio B. M. V., 2 Julii.

8. Nativitas B. M. V., 8 Septembris.

9. Solemnitas SS. Rosarii B. M. V., Dominica I Octobris.

10. Dedicatio S. Michaelis Archangeli, 29 Septembris.

11. Festum S. Andreæ Apostoli, 30 Novembris.

12. Festum S. Jacobi Majoris, Apostoli, 25 Julii.

13. Festum S. Joannis, Apostoli et Evangelistæ, 27 Decembris.

14. Festum S. Thomæ Apostoli, 21 Decembris.

15. Festum S. Bartholomæi Apostoli, 24 Augusti.

16. Festum S. Matthæi, Apostoli et Evangelistæ, 21 Septembris.

17. Festum S. Mathiæ Apostoli, 24 Februarii.

18. Festum S. Philippi et Jacobi Apostolorum, 1 Maji.

19. Festum SS. Simonis et Judæ Apostolorum, 28 Octobris.

20. Festum S. Lucæ Evangelistæ, 18 Octobris.

21. Festum S. Marci Evangelistæ, 25 Aprilis.

22. Festum S. Stephani Protomartyris, 26 Decembris.

23. Festum SS. Innocentium Martyrum, 28 Decembris.

24. Festum S. Laurentii Martyris, 10 Augusti.

25. Festum S. Annæ, Matris B. M. V., 26 Julii.

26. Festum S. Joachim, Patris B. M. V., Dominica infra Octavam Assumptionis.

(27. Festum Patrocinii S. Joseph, Sponsi B. M. V., pro Ecclesia universali ; in Diœcesi Mechliniensi autem celebratur ritu duplici 1 classis, ut supra, Q. 105, n. 26 relatum fuit.)

NOTA. His Festis Ecclesiæ universalis addenda sunt pro Archidiœcesi Mechliniensi tria alia Festa, quæ ex concessione Apostolica ibi celebrantur, ritu duplici 2 classis :

28. Festum S. Liberti Martyris, Dominica II Julii.

29. Festum SS. Angelorum Custodum, Dominica I Septembris.

30. Festum S. Francisci Borgiæ, Confessoris, 10 Octobris.

Q. 107. *Recense diversa Festa duplicia majora.*

R. 1. Transfiguratio Domini, 6 Augusti.

2. Exaltatio S. Crucis, 14 Septembris.

3. Dedicatio Archibasilicæ SS. Salvatoris, 9 Novembris.

4. Festum Septem Dolorum B. M. V., Feria VI post Dominicam Passionis.

5. Commemoratio B. M. V. de Monte Carmelo, 16 Julii.
 6. Festum Dedicationis B. M. V. ad Nives, 5 Augusti.
 7. Festum SS. Nominis B. M. V., Dominica infra Octavam Nativitatis B. M. V.
 8. Festum B. M. V. de Mercede, 24 Septembris.
 9. Præsentatio B. M. V., 21 Novembris.
 10. Festum Septem Dolorum B. M. V., Dominica III Septembris.
 11. Apparitio S. Michaelis Archangeli, 8 Maji.
 12. Dedicatio Basilicarum SS. Petri et Pauli Apostolorum, 18 Novembris.
 13. Decollatio S. Joannis Baptistæ, 29 Augusti.
 14. Cathedra S. Petri Romæ, 18 Januarii.
 15. Cathedra S. Petri Antiochiæ, 22 Februarii.
 16. Festum S. Petri ad Vincula, 1 Augusti.
 17. Conversio S. Pauli Apostoli, 25 Januarii.
 18. Commemoratio S. Pauli Apostoli, 30 Junii.
 19. Festum S. Joannis ante Portam Latinam, 6 Maji.
 20. Festum S. Barnabæ Apostoli, 11 Junii.
 21. Festum S. Benedicti Abbatis, 21 Martii.
 22. Festum S. Dominici Confessoris, 4 Augusti.
 23. Festum S. Francisci Assisiensis, Confessoris, 4 Octobris.
 24. Festum Patronorum minus principalium.
- (25. Festum SS. Angelorum Custodum, 2 Octobris, pro Ecclesia universali; verum in Diœcesi Mechliniensi celebratur ritu duplici 2 classis, Dominica I Septembris, ut supra, Q. 106, n. 29 fuit notatum.)
- NOTA. Præter Festa quæ hic recensentur, in Diœcesi Mechliniensi ex concessionem Apostolicam sub ritu duplici majori celebrantur Festa sequentia:
26. Orationis D. N. J. C. in Monte Oliveti, Feria III post Dominicam in Septuagesima.
 27. Commemoratio Passionis D. N. J. C., Feria III post Dominicam in Sexagesima.
 28. Sacræ Spineæ Coronæ D. N. J. C., Feria VI post Dominicam in Quinquagesima.
 29. SS. Lanceæ et Clavorum D. N. J. C., Feria VI post Dominicam I in Quadragesima.
 30. SS. Sindonis D. N. J. C., Feria VI post Dominicam II in Quadragesima.
 31. SS. Quinque Vulnerum (Plagarum) D. N. J. C., Feria VI post Dominicam III in Quadragesima.

32. Festum Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C., Feria VI post Dominicam IV in Quadragesima.
 33. Festum Sanctæ Familiæ Jesu, Mariæ, Joseph, Dominica III post Epiphaniam.
 34. Festum Desponsationis B. Mariæ V. cum S. Joseph, 23 Januarii.
 35. Festum Expectationis Partus B. Mariæ V., 18 Decembris.
 36. Festum Patrocinii B. Mariæ V., Dominica post Festum Omnium Sanctorum.
 37. Festum B. Mariæ V. sub titulo Auxilii Christianorum, 24 Maji.
 38. Festum Maternitatis B. Mariæ V., Dominica II Octobris.
 39. Festum Puritatis B. M. V., Dominica III Octobris.
 40. Festum S. Gabrielis Archangeli, 18 Martii.
 41. Festum Divisionis duodecim Apostolorum, 15 Julii.
 42. Festum Sacrarum Reliquiarum, sive Sanctorum quorum Reliquiæ in Ecclesiis Diœcesis asservantur et coluntur, Dominica ultima Octobris.
 43. Festum S. Joannis Berchmans Confessoris, 13 Augusti.
 44. Festum B. Caroli Boni, Comitis Flandriæ et Martyris, 2 Martii.
- Insuper in Civitate Mechliniensi celebratur ritu duplicis majoris, ex Indulto Apostolico 27 Julii 1842:
45. Festum Relationis et Recollectionis Reliquiarum S. Rumboldi, Episcopi et martyris, 3 Julii.

Q. 108. *Recense diversa Festa primaria et secundaria.*
 R. Per Decretum 22 Augusti 1893, approbatum a Leone XIII die 27 Augusti 1893 (n. 3810), et aliud 14 Augusti 1894 (n. 3837), S. Rituum Congregatio sequentem Catalogum statuit Festorum, quæ uti primaria, vel secundaria retinenda sunt.

FESTA PRIMARIA SUNT:

A. In Calendario universali:

DUPLICIA PRIMÆ CLASSIS:

Nativitas Domini; — Epiphania Domini; — Pascha Resurrectionis (cum tribus antecedentibus et duobus sequentibus diebus); — Ascensio Domini; — Pentecostes (cum duobus sequentibus diebus); — Festum Corporis Christi;
 Immaculata Conceptio, Annuntiatio et Assumptio B. Mariæ V.;
 Nativitas S. Joannis Baptistæ; — Festum S. Joseph, Sponsi B. M. V.; — Festum SS. Apostolorum Petri et Pauli; — Festum Omnium Sanctorum;
 Dedicatio propriæ Ecclesiæ; — Titulus propriæ Ec-